

plerique abdicata a se cura illarum Parochialium Ecclesiarum, eam in Presbyteros, quos Vicarios dixere, transtulerint; ordinatum fuit, ne defectu sustentationis, Ministri hujusmodi curam negligenter, ut ex Decimis, aliisque proventibus per tales incorporationes ad Monasteria, vel similia Corpora devolutis, tantum ut minus detraheretur, et eorum possessores dare cogentur, quantum curæ animarum debite exercendæ requiretetur.

(2. Hæc Portio ex Decimis, aut aliis proventibus Ecclesiasticis Ministris Ecclesiarum Parochialium curam sustententibus subministranda, vocatur communiter *Portio congrua*, quasi, scilicet congruens illi cui assignatur, idest proportionata illius necessitatibus; et venire nomine *Competentia Pastoralis*, apud omnes compertum est.

(3. Portionem Congruam sive Competentiam Pastoralem debere esse talem, quæ Presbyterorum Parochialium Ecclesiarum curam gerentium, ipsiusque Parochiæ necessitati decenter sufficiat, evincunt universa Ecclesiæ Decreta.

(4. Porro cum hæc sufficientia a temporum, personarum et locorum diversitate plurimum dependeat, neque generaliter, quid sufficiat, decerni queat, sed ex pluribus factis frequenti mutationi obnoxiiis iudicandum sit; necesse est, ut determinatio Portionis Congruæ sive Competentiæ Pastoralis arbitrio iudicis fiat, qui omnibus rite expensis statuatur, quid hic et nunc sustentationi Presbyterorum et Parochiæ necessitati succurrendæ decenter sufficiat.

(5. In determinatione hujus Competentiæ, observat post Canonistas Johannes Tournet, quod iudex attendere debeat qualitatem partium, situm locorum, quantitatem proventuum, amplitudinem Parochiæ, numerum Parochianorum, onera ordinaria et extraordinaria aliasque similes circumstantias; quæ omnia variis Iudicum sententiis confirmata videntur.

(6. In quantum Portio Congrua sive Competentia Pastoralis desumitur ex Decimis intra limites Parochiæ exrescentibus, negari nequit, quin de jure favorabilis dicenda sit hujusmodi assignatio. Ita Wamesius *Cons. 432. num. 9.* cui unanimiter consentiunt Canonistæ.

(7. Itaque notat Rebuffus *Tractatu de congrua Portione n. 82.* quod iudex debeat potius inclinare ad Partem Congruam Vicariorum quam ad possessorum Decimarum.

(8. Assignationem Portionis Congruæ sive Competentiæ Pastoralis esse causam alimentorum, extra dubium est.

(9. Porro si in causa alimentationis ex notorio jure et praxi summarie et per provisionem sit procedendum, vel magis in hac causa hic procedendi modus servandus erit. Ita Rebuffus *eodem Tractatu n. 54. et Tractatu de sententia provisionali in Præfatione n. 30.*

(10. Competentia Pastoralis adjudicatur per modum provisionis, si contingat in

ejus assignatione oriri aliquam difficultatem.

(11. Competentia Pastoralis transactione vel conventionione tolli minime potest, nullo quippe facto effici potest, ut non dentur necessaria alimenta Parocho, aliisque in vinea Domini laborantibus.

(12. Conventio sive transactio super Competentia, si fiat quandoque Decimatores inter et Vicarios privata auctoritate, successoribus præjudicare nequit, quin ea non obstante majorem Competentiam petere queant.

(13. Si vero transactio auctoritate Superiorum interveniente legitime inita et firmata fuerit, ea quidem ad successores transibit; sed nequaquam ita ipsos ligabit, quin circumstantiis probabiliter mutatis Portionis Congruæ, augmentum petere queant. Ita Rebuffus, qui ulterius monet, quod ille idem Vicarius, qui super Portione Congrua convenit, possit augmentum ejusdem petere, si notorie appareat illum Vicarium nunc ex illis vivere non posse.

(14. Sicut per transactionem, sive quamcumque conventionem tolli nequit Competentia, eo quod necessaria alimentationis loco sit; ita eandem ob causam nec compensatione elidi potest.

(15. Onus assignandi Portionem Congruam sive Competentiam Decimis inhæret, et reale est.

(16. Proinde in unionibus seu incorporationibus Ecclesiarum Parochialium cum Decimis ac proventibus ad eas spectantibus solet adjici hæc similisque clausula: « Reservata tamen de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus pro Vicario perpetuo in eis instituendo Congrua Portione, ex qua idem Vicarius commode sustentari valeat, jura Episcopalia solvere, et alia sibi incumbentia onera supportare. » Rebuffus *ad Reg. Cancell. De Unionibus gloss. 11. n. 16.*

(17. Portio Congrua sive Competentia debet esse sufficiens pro tot Presbyteris, quot ad curam animarum Parochiæ requiruntur.

(18. Proinde ex mente Synodi Tridentinæ nequaquam Competentia sufficiens erit, si non sufficiat tot intertinentis Sacerdotibus, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum.

(19. Hinc patet, Parochum sive Vicarium perpetuum petere posse augmentum Portionis Congruæ, tametsi hæc quam habet, sibi quidem sufficiat, sed nequaquam sufficiens sit Presbyteris, quos sibi in administrandis Sacramentis, et cultu divino celebrando pro multitidine Parochianorum, aut latitudine Parochiæ adjungere debet.

(20. Parochus postulans Competentiæ augmentum, ut plures sibi Presbyteros adjungere queat, hoc unum ostendere debet, quod in Ecclesia sibi concredita populus ita numerosus sit, ut nec ipse, nec hi, qui modo adjuncti sunt, sufficere possint Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo; tametsi forsitan ejus Prædecessores vel soli, vel cum uno alterove adjuncto Presbytero, curam animarum sustinuerint.

(21. Si per Beneficiorum simplicium unionem Ecclesiis Parochialibus sufficienter provideri nequeat, vult Synodus Tridentina, *Sess. 24. c. 13. de Reformatione*: « Ut Primitiarum aut Decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori Episcopo videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat. »

(22. Et quidem quod ad Primitias attinet, cum hodie non alia quam voluntariarum oblationum loco habeantur, atque inter voluntaria oblationes recenseantur, merito in assignanda Competentia Pastoralis, earum ante Decimas ratio habetur. Neque enim dubium quin oblationes, et quæ oblationum nomine veniunt, magis proprie ad Parochum, quam Decimæ pertineant; uti monet Zypæus *l. 3. De Consult. Can. Consult. 3. De Parochiis n. 14.*

(23. Ac propterea si oblationes alteri quam Parocho competant, prius ratione harum oblationum ad Congruam Portionem sive Competentiam is tenetur quam Decimarum possessor, ac prius oblationes Parocho vindicandæ: quæ si non sufficiant, tum demum ad Decimas recurrendum.

(24. Hoc vero intelligendum est de oblationibus, quæ ex solo privilegio, aut præscriptione ad Pastores, ver. gr. primitivos transierunt, et quæ secluso privilegio aut præscriptione et voluntate offerentium et Jure communi ad Parochum spectarent; qualia esse solent ea, quæ in Defunctorum inhumationibus offerri sive donari solent; secus vero de oblationibus, quæ ex voluntate offerentium in alium pium usum offeruntur. Hæc enim nullatenus in Parochorum Competentiam convertendæ videntur.

(25. Licet omnibus Decimis indifferenter onus Competentiæ Pastoralis videatur inhære, atque cum hoc onere ad suos transiisse possessores; tamen indubitatum est, quod et inter Decimas nonnulla sint, quæ specialiori titulo præ reliquis huic oneri sunt subjectæ, eo quod proprius et specialius ad Parochos pertineant.

(26. Hac ratione Decimæ novales, cæteris paribus, prius Parocho addicendæ sunt, et ad Competentiam possessoribus excutiendæ, quia proprie Parochorum sunt, ac difficilius quam veteres Decimæ a Parocho ad alios

COMPLEX PECCATI.

SUMMARIUM.

1. Confessarii, ac Sacerdotes quicumque, sive Sæculares, sive Regulares, nequeunt absolvere suos Complices in peccato contra sextum Decalogi præceptum, nisi in articulo mortis, et tunc solum in defectu alterius Confessarii. — 2. Confessarii extra dictum mortis articulum illos absolventes incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam. — 3. Et tales Confessiones sunt invalidæ, irritæ ac nullius valoris. — 4. An Confessarii nequeant etiam absolvere suos Complices in quocumque alio peccato mortali, non carnali. — 5. Complex ordinarie Confessario manifestari non potest; potest tamen Confessarius interrogare necessaria ad Confessionem,

transferuntur. Ita Zypæus *loc. cit. Consult. 3. de Parochiis n. 5.*

(27. Quoad Decimas non novales seu veteres, ante alias Competentiæ, seu Congruæ Portioni obnoxiiæ sunt, quæ ultimo loco ab Ecclesia Parochiali decidæ.

(28. Hinc inter decimarum possessores ante reliquos ad Competentiam ordinarie tenentur hi qui dicuntur primitivi Pastores, qui solent possidere ipsas Ecclesias Parochiales incorporatas cum Decimis et proventibus sub expressa conditione assignandi Vicario Congruam Portionem, si ipsi per se curam earum Ecclesiarum non habeant.

(29. Præterea de Jure communi in *Clem. 1. de Jure Patronatus*, Diœcesanis sub obstatione Divini judicii districte inhibetur, « ne præsentatum aliquem per quemcumque personam Ecclesiasticam jus præsentandi ad Ecclesiam aliquam habentem admittant; nisi intra certum terminum competentem per Diœcesanos ipsos præsentantibus præficiendum, ipsi præsentato fuerit coram eis Congrua de proventibus Ecclesiæ Portio assignata: quam si iidem præsentantes intra terminum ipsum assignare neglexerint, ne factum eorum noceat præsentato, statuitur, ut ex tunc Diœcesani debeant præsentatum (nisi aliud Canonicum obstet) admittere, et in pœnam præsentantium, ad Diœcesanos ipsos potestas assignationis hujusmodi devolvatur. »

(30. Cum Episcopo incumbat providere, ut Ecclesiis Parochialibus de sufficientibus et idoneis ministris provideatur; immo et ipsis injungat Synodus Tridentina, ut per Beneficiorum unionem, aut Primitiarum, vel Decimarum assignationem, aut qua commodiori ei videretur ratione curet, ut tantum redigatur, quod pro Rectoris ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat, dubitari nequit, quin Episcopi sit, omni modo allaborare, ut Competentia assignetur non tantum ipsi Parocho, sed etiam tot Presbyteris, quot necessarii sunt, ut Parochiæ necessitati decenter satisfiat, et cura animarum laudabiliter exerceatur.

(31. Immo ad Competentiam agere possunt et ipsi Parochiani: « Quia sua interest, inquit Zypæus *dicto loc. Consult. 6. n. 2.* bonum habere Pastorem, eumque commodius sint semper inventuri, si dos detur liberalis. »

quamvis per accidens veniret in notitiam Complicis. — 6. Potest autem Pœnitens nominare Complicem, si nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri. — 7. Confessarius cogere potest pœnitentem ad peccatum Complicis, vel cujuscumque alterius manifestandum illi, ad quem spectat scire, et emendare, vel cavere periculum relapsus, aut alienæ seductionis, seu propriæ gravis damnificationis. — 8. Non expedit tamen ordinarie Complicem moneri per Confessarium; quod si aliter fieri non possit, expedit illum a Pœnitente manifestari extra Confessionem. — 9. Si Complex absque necessitate manifestet peccatum Complicis Confessario, illud probabilius est materia sigilli. — 10. Complex an, et quando teneatur, et possit fateri, seu re-

velare Complicem; ad n. 12. — 15. Ad id attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIV. ad n. 18.

(1. Confessarii, ac Sacerdotes quicumque, sive Sæculares sive regulares, nequeunt absolvere suos Complices in peccato contra sextum Decalogi præceptum, nisi in articulo mortis, et tunc solum in defectu alterius Confessarii. Sic novissime statuit Benedictus XIV. *Constit. incip. Sacramentum pœnitentiæ*. (2. Confessarii extra dictum mortis articulum audentes illos absolvere incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam. Idem *ibidem*. (3. Et tales Confessiones sunt invalidæ, irritæ ac nullius valoris. Idem *ibidem*.

(4. An Confessarii nequeant etiam absolvere suos Complices in quocumque alio peccato mortali, non carnali? Attendendæ sunt peculiare Constitutiones eujuscumque Diœcesis ac Provinciæ. In Provincia Mediolanensi Concilio Provinciali VII. *tit. de Sacramento Pœnitentiæ vers. Qui criminis alicujus*, expresse prohibetur, ne Confessarius socius, aut particeps alicujus criminis, seu culpæ mortalis Complicem audiat in Confessione, ibi: *Interdictum sciat sibi munus audiendi Confessiones illorum, quos socios, etc.* cui concordat Mediolanensis Diœcesana Synodus undecima, *titulo: Monita executionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, vers. Confessario*, ubi non solum adimitur Confessario facultas et jurisdictio absolvendi suos Complices in peccato mortali, sed insuper, si eos audiat, vel absolvat, subditur Excommunicationi Episcopo reservatæ; sic etiam in hac Alexandrina Diœcesana Synodo celebrata anno 1732. *titul. de Sacramento Pœnitentiæ in fine* expresse habetur: « Tandem moneamus Parochos omnes, et Confessarium quemlibet, ademptam eis esse facultatem absolvendi Complices in quocumque peccato mortali. » Quod valde expedit ubique decerni, ac observari, cum in similibus Confessionibus factis Confessario Complici soleat delicere pœnitentium verecundia, pudor, dolor ac propositum, immo ex ipsis sumant occasionem liberius peccandi; sic recte Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ disp. 3. quæst. 7. punct. 5. § 5. n. 11.* expresse concludens, non posse Confessarios absolvere suos Complices in quocumque peccato mortali, etiam non carnali, quia *in cit. Concil. Provinciali VII. et Synodo Diœcesana XI. Mediolanensi*, ut etiam *in cit. Alexandrina Diœcesana Synodo de anno 1732.* habentur verba generalia comprehendentia omnia peccata mortalia, nec distinguunt inter mortalia carnalia, et non carnalia; verba autem generalia generaliter sunt intelligenda, et ubi

(1) Si Confessarius ex hac sua interrogatione, si scilicet Pœnitens in occasione proxima versetur, provideat se forte in cognitionem Complicis venturum, cur non posset ei conditionate loqui, injungendo quæ remedia v. g. adhibenda sint, si occasio est proxima, quæ si remota, quin exquirat utrum in proxima revera sit an in remota? Nonne ita et Complicis famæ et pœnitentis simul necessitati consulitur? (*Edit. Casin*)

— 19. Affertur *Constit. Benedicti XIV. incip. Apostolici muneris*. — 20. Alia ad rem *Remissive*.

lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia circa 22. de privileg. l. De pretio 8. ff. de publiciana in rem action. l. Non distinguemus 32. ff. de receptis Arbitr. l. Præses. 3. ff. de Officio Præsidis*.

(5. Quamvis Complex ordinariæ Confessario manifestari non possit, ut tradunt Doctores communiter, ex quo sit naturale præceptum servandi famam proximi; potest tamen Confessarius interrogare necessaria ad Confessionem, v. g. an Pœnitens sit in occasione proxima, licet ita venturus sit in cognitionem Complicis: per accidens enim est, quod hujus peccatum etiam manifestetur. Stephanus *tract. 5. d. 5. n. 162. La Croix lib. 6. part. 2. n. 1144.* et alii passim (1).

(6. Potest autem Pœnitens manifestare Complicem Confessario, si nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri, ut docent S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Suarez, Vasquez, Lugo, aliique XX. gravissimi Auctores apud Joann. Sanchez, *d. num. 9.* et tradimus nos sub verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art. 2. n. 89. et 90.* docendo cum Scoto, S. Bernardo ac plurimis aliis ibi citatis, non excusari ab integritate materiali Confessionis infamiam propriam, aut Complicis apud solum Confessarium. Vide *ibi*.

(7. Confessarius cogere potest Pœnitentem ad peccatum Complicis, vel eujuscumque alterius manifestandum illi, ad quem spectat scire, et emendare, vel cavere periculum relapsus aut alienæ seductionis, vel propriæ gravis damnificationis. Sic Doctores communiter cum Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ disp. 16 a n. 431. La Croix lib. 6. part. 2. num. 1144.* Cum enim quisque teneatur, quantum potest, gravia mala Reipublicæ, aut proximi impedire: nec possit Pœnitens in tali casu, ut supponitur, aliter impedire talia gravia mala, nisi manifestando Complicem, ad id tenetur (2).

(8. Quod si talia gravia mala, et damna timeantur a Complice, et Pœnitens non possit ea impedire, sed solus Confessarius, tenetur manifestare Confessario Complicem, quod expedit fieri extra Confessionem, ne reddatur apud Complicem, aut alios odiosa Confessio. Unde recte Mendo *dis. 10. q. 5. num. 116. Lugo loc. cit. num. 435. La Croix loc. cit. num. 1144. 1752. et 1918.* et alii passim, merito docent, non debere Confessarium per se corripere, seu manifestare Complicem ex licentia Pœnitentis; et si non possit id fieri per alium, expedire, ut potius petat a

(2) Verum quidem est, teneri aliquando pœnitentem Complicem manifestare: cum malum aliquod avertendum sit magnum. At Confessario licitum nequaquam est correctionis faciendæ causa. Quid ergo facere debet in casu Confessarius? Pœnitenti imponet, ut alicui, qui malum posset avertere, revelet: Confessario non est permissum dicere: *Revela mihi.* (*Edit. Casin.*)

Pœnitente, ut extra Confessionem de hoc sibi loquatur.

(9. Si Complex absque necessitate manifestet peccatum Complicis Confessario in Confessione, illud probabilius est materia Sigilli. Mendo *dis. 10. n. 120. et 140. La Croix loc. cit. num. 1949.* cum Suarez, et Aversa ibi allegatis, et aliis. Et ratio est, quia illud peccatum Complicis manifestum est Confessario ex intrinseca occasione Confessionis, et tamquam aliquid ad eam aliquammodo pertinens; tum quia fieri potest, ut occasione revelati peccati Complicis possit veniri in notitiam peccati Pœnitentis, adeoque Confessarius tenetur ad illius Sigillum.

(10. Complex delicti non tenetur, nec jure potest revelare Complicem, si omnino occultus sit, nec aliis indicis, aut testimoniis convinci possit. P. Navarr. *l. 2. cap. 4. num. 173. Layman lib. 3. de justitia tract. 6. cap. 5. num. 8. Lessius lib. 2. cap. ult. dub. 15. Busemb. citatus, et secutus a La Croix lib. 4. num. 1521. in fine.* (11. Si tamen vi tormentorum coactus Complicem revelet, ordinariæ non peccabit. La Croix cum Busemb. *loc. citat.* cum aliis allegatis. (12. Si autem crimen sit exceptum, videlicet in publicam perniciem tendens, ut hæresis, proditio, falsatio monetæ, veneficium, latrocinium, tenetur Complicem etiam non rogatus revelare. Layman *loc. cit. vers. Nisi crimen, Reiffensuel de Confess. malef. memb. 2. in princip. La Croix cum Busemb. loc. citat. num. 1521. in fine,* ubi addunt, quod si nolit revelare secundum Navarr. non sit absolvendus.

(13. Complices, seu socii criminis a pœnitentibus revelari non debent; Benedictus XIV. *tom. 1. Constitut. 134. incip. Suprema;* neque ad revelanda Complicem nomina pœnitentes obligari possunt a Confessariis denegata absolutione, sub gravissimis pœnis, ut patet ex altera *Constitut. ejusdem Pontificis incip. Ubi primum,* in qua confirmat priorem illam *incip. Suprema* adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus in Sacramentali Confessione Complicem nomina, et merito reprobat, ac damnat tanquam scandalosam, et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad Sacrosancti Sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, et necessario usu Fideles abalienantem, nuper in Regnis Portugalliæ et Algarbiorum introduci coeptam praxim exquirendi in Sacramentali Confessione a pœnitentibus socios criminum habentibus ipsorum sociorum nomina, et habitationis locum, ipsisque denegandi, nisi revelent, Sacramentalem absolutionem.

(14. Ad quam tam detestabilem praxim eliminandam sollicitam mandat Ordinariis omnibus vigilantiam, tam contra Confessarios omnes, sive Sæculares, sive Regulares, quam contra quoscumque alios cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis et ordinis, etiam speciali, individua mentione, et expressione dignos, qui ausi fuerint in posterum docere licitam esse hujusmodi praxim, vel scribere aut loqui in ejusdem damnatæ praxim

defensionem, vel ea, quæ in dicto Brevi incip. *Suprema*, contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alios sensus temere detorquere, seu interpretari; ipsosque omnes sic temere audentes declarat incidere ipso facto in excommunicationem, a qua præterquam in articulo mortis, a nemine quam a Romano Pontifice pro tempore existente, possint absolvi; dictosque Confessarios ut supra, delinquentes, statuit Suspensioni ab Officio audiendarum Confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore insuper subjiciendos.

(15. Præterea decernit, quod contra docentes, et defendentes licitam esse talem exitialem, et damnatam praxim, vel ejusdem reprobationem impugnantes, aut perverse interpretantes, procedatur in Officio S. Inquisitionis, non minus ac contra illos procedi solet, quiasserunt, tradunt ac venturæ opinionem scandalosam, perniciosam, et uti tales a Sede Apostolica rejectas et condemnatas, sique ipsi omnes severissime puniuntur. Similiter in eodem S. Officio procedi mandat contra Confessarios quoscumque ut supra delinquentes, ac de nomine Complicis Pœnitentem interrogantes, eidemque Pœnitenti, nisi illud sibi manifestaverit, absolutionem denegantes; dummodo tamen ex circumstantiis de adhæsione ad prædictam damnatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate tales Confessarii suspecti reddantur, et si ut supra culpabiles reperti fuerint, pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab Officio Confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ et passivæ, si Regulares fuerint, aliisque pœnis mulctentur.

(16. Insuper mandat, quod quicumque aliquem uno ex suprascriptis modis deliquisse cognoverint, eum intra terminum dierum in Edictis S. Officii præfigi solitum, eidem S. Officio denunciare teneantur; alioquin pœnas non denunciantibus per eadem Edicta infligi consuetas, incurrant. Ab hoc autem onere denunciandi justis de causis eximit Pœnitentem in causa propria; id est in casu, quo a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen Complicis in eodem peccato, relicto tamen ei onere dictam Confessarium denunciandi, si aliunde, quam ex propria, ut dictum est, Confessione, noverit ipsum aliquo ex superius numeratis, et a S. Officio denunciandi modis deliquisse.

(17. Quod si Confessarius Pœnitentem de Complicis nomine perperam interrogans, absolutionemque ei, nisi sibi detegatur, denegans, de prava credulitate, vel de mala adhæsione ad prædictam damnatam praxim, tamquam ad licitam ex circumstantiis suspectus non reddatur, tunc istiusmodi delictum, neque denunciationis oneri, neque S. Officii cognitioni subjectum esse declarat; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis Confessionibus, vel alias Canonicas et legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere,

ad locorum Ordinarios in sua cujusque Diocesi mandat omnino spectare.

(18. Cum autem prædictas suas Apostolicas Literas, utpote ad Lusitaniæ Regnorum, atque Ditionum opportunitatem accommodatas, et pro eisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, et legis vim, auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negaretur, ipse Summus Pontifex Benedict. XIV. non ignorans etiam alibi irrepsisse dictam perniciosissimam praxim, alia sua provida Constitutione incip. *Ad eradicandam*, edit. 28. Septembr. 1746. sic expresse declarat: « Ideo Nos motu proprio, atque ex certa scientia hujus nostræ generalis sanctionis tenore, ac de Apostolicæ potestatis nostræ plenitudine easdem præinsertas Literas iterum confirmantes et roborantes decernimus, et declaramus memoratam praxim in se ipsa, et ubique locorum ac temporum, Apostolica auctoritate reprobata, atque damnatam esse, et censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato nostro Brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica rejectas et condemnatas, et respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, et Ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque præscriptis. »

(19. Hinc juvat adducere, utpote scitu summe necessariam, declarationem Constitutionis incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, de qua supra num. 1. editam ab eod. Pontif. Bened. XIV. tom. 1. *Constitut.* 120. incip. *Apostolici muneris*, et est tenoris sequentis.

BENEDICTUS PP. XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris Sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

§ 1. Sane cum Nos alias per quamdam nostram Constitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo primo Kalendis Junii Pontificatus nostri Anno Primo editam, omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, interdixerimus, et prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus

obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ Complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione et facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et alias prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis conjecturis et opinionibus jaectata, in sensu a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur.

§ 2. Hinc est, quod nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem nostram, cum omnibus, et singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integrè, penitus et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari præcipimus et mandamus. Præterea habita super his cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo Prænestino Sanctæ R. E. Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Nostro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato Complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdicti re ipsa, et prohiberi prædicto modo tunc audire, et absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere, ac absolutionem impertiri.

§ 3. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutionem in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exortura infamia, vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eorum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quo-

que crimine impertiri. Sciat autem Complex ejusmodi Sacerdos, et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram Constitutionem inobedienciæ, latissime in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiae, aut scandali pericula sibi ultra ipse coningat, ubi non sunt: immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel remove, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ Constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et præcipimus.

§ 4. Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiae, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum averendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personam in dicto crimine Complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumperit,

CONCEPTIO B. M. V.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

1. De peccato Originali, ejusque discrimine ab actuali. — 2. A generali humani generis infectione peccati originalis eximenda B. V. Maria. — 3. Distinctio intra Conceptionem Activam et Passivam. — 4. Non est sermo de Activa Conceptione, sed de Passiva tantum, et firmatur quænam sit questio. — 5-7. Triplex Piæ Sententiæ expositio. — 8. Quibus Testimoniis probatur Immaculata Conceptio. — 9. Quid notandum pro Sacræ Scripturæ Testimoniis in favorem Piæ Sententiæ adductis. — 10. Sacræ Scripturæ Testimonia Immaculatam Conceptionem faventia. — 11. De Traditione Apostolica. — 12. Sanctorum Patrum nomina, qui de Immaculata Conceptione disserunt, per sæcula distributa. — 13. De Theologis ac Doctoribus qui a sæculo XIII illam propugnarunt. — 14. Testimonia Conciliorum Ge-

neralium et Provincialium idem suadentia. — 15. De celebri Concilii Basileensis Decreto. — 16. Quomodo etiam a Summis Pontificibus facta adprobata. — 17. De Concilio Tridentino ejusque Decreto. — 18. Summorum Pontificum Testimonia. — 19. Sixti IV. Constitutiones de Immaculata Conceptione. — 20. A Summis Pontificibus statuta pro Immaculata Conceptione. — 21. Constitutio Sixti V. — 22. Sæculo XVII. quid a Pontificibus actum pro Piæ Sententiæ. — 23. Constitutio Alexandri VII. — 24. De censuris circa questionem Conceptionis. — 25. Pontifices sæculi XVIII. — 26. Concessiones a Gregorio XVI. factæ. — 27. Academiæ Parisiensis statutum. — 28. De cæteris Academiis et Ordinibus Religiosis. — 29. De festo Conceptionis ejusque Officio. — 30. Numisma Conceptionis B. M. V.

(1) Quoad Compositionem super legatis relictis Fratribus Minoribus, vide verb. *Legatum a n. 97. ad 100.* Quoad Compositionem debitorum cum creditoribus, vide verb. *Resstitutio art. 5. a n. 50. ad 53.*

quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint. Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne in hac ipsa occasione aliquis pereat. Nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam eifugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione, majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, et huic Sanctæ Sedi reservatam, incurrere declaramus, volumus atque statuimus. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in præfata nostra Constitutione volumus non obstare cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8 Februar. 1743, Pontificatus Nostri anno Quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

(20. Alia ad rem, vide verb. *Moniales art. 1. num. 18.* verb. *Pœnitentiæ Sacramentum n. 89. 90.* et infra verb. *Confessarius art. 4. n. 22. ad 28 (1).*

neralium et Provincialium idem suadentia. — 15. De celebri Concilii Basileensis Decreto. — 16. Quomodo etiam a Summis Pontificibus facta adprobata. — 17. De Concilio Tridentino ejusque Decreto. — 18. Summorum Pontificum Testimonia. — 19. Sixti IV. Constitutiones de Immaculata Conceptione. — 20. A Summis Pontificibus statuta pro Immaculata Conceptione. — 21. Constitutio Sixti V. — 22. Sæculo XVII. quid a Pontificibus actum pro Piæ Sententiæ. — 23. Constitutio Alexandri VII. — 24. De censuris circa questionem Conceptionis. — 25. Pontifices sæculi XVIII. — 26. Concessiones a Gregorio XVI. factæ. — 27. Academiæ Parisiensis statutum. — 28. De cæteris Academiis et Ordinibus Religiosis. — 29. De festo Conceptionis ejusque Officio. — 30. Numisma Conceptionis B. M. V.

facit, postquam persona est, hoc est sui juris, et arbitrii, Personale potest nominari, quia vitio personæ fit. » S. Ansel. *lib. de conceptu Virgin. et Orig. pec. cap. 1.* (2. Fide insuper tenendum est (Trident. *sess. 5*) Ad prævaricationem sibi et ejus propagini nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam eum sibi et nobis perdidisse; per inobedienciæ peccatum, mortem et pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, necnon peccatum, quod mors est animæ, dicente Apostolo « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. » Rom. c. 5. v. 12. Tamen a generali

et a num. 41. ad 59. De Compromisso quoad arbitros, vide verb. *Arbitri per tot.* et quoad electionem verb. *Electio art. 1. a n. 14. ad 51.*